

Q. D. B. U.  
EXCERPTA  
CONTROVERSIARUM  
JURIDICARUM  
DE  
APPELLA-  
TIONIBUS,

PRÆSIDE  
UNIVERSITATIS ARGENTORATENSIS  
RECTORE MAGNIFICO  
VIRO *Nobilissimo, Amplissimo,*  
*Consultissimo atq; Excellentissimo*  
DN. JOHANNES HENRICO  
FELTZIO,

J. U. D. Pandect. & Jur. Can. Prof. P.  
Ordinario Celeberrimo

*SOLENNI disquisitioni sistit*  
Ad diem ~~1. Januarii~~ ANNO M DCC X.

WILHELMUS ANTONIUS REIS, Arg.  
Auctor & Respondens.

ARGENTORATI,  
Typis SPOORIANIS.

Diss. jur. civ.

51.30

2-

DEO  
&  
PROXIMO.

*Faint, illegible handwritten text or stamp.*



## Controversia I.

*An appellatio juri naturali potius quam juri Civili sit adscribenda?*

**A**d opinionem prioris membri affirmativam: appellandi scilicet facultatem ad principia præceptorum naturalium esse referendam, argumentum suppeditat ipsa naturalis æquitas, quæ eam fundat. Etenim appellatio censetur esse species defensionis & ad præidium defendendæ innocentia institui. *cap. cum speciali. 61. §. porro. X. de appell. Gail. lib. 1. obs. 128. n. 1. & 5. cap. ad nostram. 3. X. de appell. l. præfecti pratorio. 17. ff. de minor.* Defensionem autem ab ipsa natura concessam & omnibus animalibus imo inditum esse, ut se defendant, nemo inficiabit. *Marantap. 6. de appell. n. 247. Gail. lib. 1. obs. 128. n. 1. conferatur Cletzelius in tract. de appell. cap. 1. n. 8. Treütlerus vol. 2. disput. 33. th. 1. lit. A.*

Præterea ex jure naturali competere appellationem ex eo potissimum colligere licet, quod eam adeò indispensabilem reputent, ut nec Imperatori illam tollere liceat. *Clementina cap. Pastoralis. 2. circa finem, ibi, nec prædicta supplementio &c. de sentent. & re judic* Unde patet, nec statutum aut consuetudinem appellationi contrariam debere approbari,

A 3

quo-

quoniam per ea impediretur naturalis ratio, quæ dicitur iniquitatem judicantium corrigendam, eaque per appellationem corrigitur. *l. appellandi. 1. ff. de appell. junctâ l. præfecti. 17. ff. de minor. vid. Ord. Cam. p. 2. t. 28. §. und diesselbisher. Mynsing. Cent. 1. obs. 14. Gail. lib. 1. obs. 72. n. 3. & obs. 36. n. 12.*

Posterioris autem membri adsertio, appellationem videlicet promanare ex legibus civilibus, exinde verificari videtur, quod, qui non fruuntur jure civili, etiam hoc commune auxilium polliceri sibi non possint, sed ab eodem penitus arceantur. *l. servi. 15. l. creditor. 28. ff. de appell. l. licet. 1. Cod. de precibus Imper. offer.* Porro appellationem introductam jure Civili, constat ex *l. necessarium. 2. §. 5. & 6. ff. de orig. jur.* quò spectat, quod & actiones, quas potissimum appellatio sequitur, juri civili originem debeant. *l. necessarium. 2. §. 6. ff. de Orig. jur.*

Mihi videtur ante omnia esse distinguendum, an sermo sit de appellatione quoad substantiam genericam, ut pro defensione sumitur, seu pro medio contra ignorantiam & iniquitatem judicis, & ita ad jus naturale referri censetur in supradicta *Clementina cap. pastoralis. 2. de sentent. & re judic.* adeoque prohiberi non posse, cum uti quisque, quod ob tutelam corporis sui fecerit, ita &, quod ad defendendum jus suum, id jure fecisse existimetur. *l. ut vim. 3. ff. de just. & jur.*

Quod si verò quæramus de forma & essentia specificâ sive de solennitatibus appellationum, eas ad jus civile referendas esse, negari haud poterit; licet enim speciem æquitatis naturalis habeant, non tamen statim inferendum est, ex jure naturali quoad integram naturam suam, & uti jure Romano informatæ & determinatæ apparent, promanare appellationes.

Itaque

Itaque dictante quidem naturali ratione emanavit appellatio, *cap. secundo requiris. 41. v. tertio. X. de Appell. jure verò civili est informata. Cletzelius cap. I. n. 21. tract. de appell.*

## Controversia II.

*An reus, qui non est certus, sed dubitat de injustitia sententiæ contra se lata, appellare possit?*

**N**egantium partibus favet, quod pro sententia judicis & superioris in dubio sit præsumendum; etenim, quamdiu non constat de iniquitate, censetur judex officio suo ritè functus esse & servatò judiciorum ordine pronunciaffe; *l. ingenuum. 25. ff. de statu hom. l. servo. 65. §. cum prætor. 2. ff. ad SCum Trebell. conferatur Treütlerus vol. 2. disput. 23. th. 5. lit. e.* Ideòque sententia judicis, quamvis in dubio, nihilominus transit in rem judicatam. *Streinius in summa jur. can. p. 3. tit. 9. §. 3. n. 1.* Hanc in rem allegari etiam posset Analogia juris Romani, quò causa manumissionis, licet falsa deprehendatur, tamen non retractatur. *§. semel autem. 6. Inst. quibus ex causis manumit. non licet.* Huc etiam pertinet, quod, si quis in jus vocatus fuerit, licet in dubio versetur de incompetencia judicis, si tamen de ea non constet, teneatur comparere. *l. ex quacunque. 2. pr. ff. si quis in jus vocatus non ierit. l. si quis. 5. ff. de jud. conferatur Carpzovius p. I. const. 3. def. II.*

Quid ni ergo in dubio etiam standum esset potius sententiæ judicis, cum semper in dubio sequamur id, quod tutius est. *l. semper. 9. ff. de Reg. Jur. l. in obscuris. 114. ff. de Reg. Jur.*

A 3

Verum

Verum contraria nobis sententia potius stabilienda videtur, cum nemo censeatur dolò facere, qui jure suo utitur. *l. nullus. 55. ff. de Reg. Jur.* Jam vero appellare in dubio nihil est aliud, quam uti suo jure ad explorandam veritatem & plurimum de controversia suæ causæ judicium. Non enim est negabile, judicem alium aliò esse perspicaciorem, majorique scientiâ instructum, proinde magis ad iniquitatem corrigendam idoneum, ita, ut examinatis accuratiùs fundamentis priori contrarium statuatur. *Streinius in summa jur. can. p. 3. tit. 10. §. 11. de appell. dub. 3.* Adde, quod & finem ulterioris deductionis habeat appellatio, argumento formulæ solennis, qua appellans utitur: *non deducta deducam.*

Porro hoc ampliari posse existimamus, etiam ubi reus non ignorat, judicem communiorem doctorum seu probabiliorem sententiam in judicando fuisse secutum, si præcipuè intelligatur in criminalibus, in quibus nemo facile damnandus est, cum possit aliquando sperare remissionem pœnæ maximè operâ advocati; quid ni ergo possit appellare, si habeat opinionem probabilem contra opinionem judicis probabiliorem; quemadmodum, generaliter loquendo, hoc omnibus licitum. *Streinius in summa jur. can. p. 3. tit. 10. §. 11. dub. 3.*

Cur enim possit reus ab initio se tueri habens probabilem causam contra probabiliorem, & non possit idem facere post latam sententiam in negotio appellationis. *Cardinalis Lugo disput. 40. sect. 3. num. 35.* Licitum nimirum est, illi, qui oppugnatur, circumspicere & tentare omnia media non manifestò illicita, ut se suaque conseruet, maximè, si alterius arbitrio dubiæ litis relinquat decisionem, defensor enim propriæ salutis in nullo peccare videtur. *l. si quis. 3. Cod. ad leg. Cornel. de Sic.*

Adde

Adde, quod iudex etiam in dubio deferre appellationi debeat. *Baldus in practica p. 82. cap. sacro approbante. 48. sub finem. X. de sentent. excommunicat.*

## Controversia III.

*Utrum appellari possit ab interlocutoria lata in eodem possessorio à cuius definitiva sententia appellatio rejicitur?*

**N**on videtur, quoniam eadem militat ratio prohibendi appellationem ab interlocutoria, quæ occurrit in prohibitione, à definitiva, idem ergo jus esse statuendum comprobatur. *arg. l. quisquis. 6. Cod. quor. appell. non recip.* Nomen enim sententiæ refertur ad interlocutoriam propter rem seu casum, qui in iudicio agitur ad evitandam contrarietatis absurditatisve rationem. *Glossa in clement. cap. I. v. sententias. de sentent. & re judic.*

Porro, cum appellare unâ viâ prohibitum reperitur, aliâ concedendum non est, cum aliàs constitutio prohibitiua appellationis effectum sortiri nequeat, sed potius timendum, ne elusoria reddatur.

Denique, si ab interlocutoria non concedatur appellatio, nisi quando vim habet definitivæ, aut sanè damnum aliud irreparabile in se continet, manifestum evadit, iustiori de causa appellationem prohibendam esse ab interlocutoria, si eandem invalidam aut non permissam credamus in definitiva, qua de re videatur *Menochius remed. 4. adipisc. possess. num. 813. cum seqq. conferatur Benderus de Revision. concl. 34. & 38.*

Nos

Nos autem opinionem istam generalem, videlicet: *ab interlocutoria in possessorio lata non esse recipiendam appellatio- nem*, perduram admodum esse cenlemus.

Quinimo aliena ab humanitate videtur certis in casi- bus esse: quid enim? si interloquatur: testes recipiendos non esse?

Et quamvis Doctores contrariæ opinioni addicti sta- tuant, rationem, cur appellationi locus in tali sententia non sit, esse in eo sitam, quod illi sufficiat, si damnum, quod per definitivam possessorii reparabile non est, per iudicium pe- titorium, ut reparetur, urgere possit, videatur *Menochius Remed. 4. adipisc. possess. num. 817.* tamen hæc opinio aliena ab æquitate videtur, si fundamentum intentionis appellantis solum super depositione testium subsistat; illique rejecian- tur à iudice, cum potius curare debeat, ut probatio sit salva, quam, ut pereat. Hanc in rem facit *textus in cap. significan- tibus. 3. X. de novi oper. nunciat. textus in cap. significaverunt. 36. X. de testibus.*

Quare res ita decidenda esse videtur, ut à sententia lata in possessorio appellari possit, si inferat gravamen, quod per sententiam in ordinario possessorio reparari ne- quit, aut cuius reparatio saltem magnæ aliàs difficultati est obnoxia. *Grævus ad Gail. concl. 7. consid. 2 num. 18. & 20. & concl. 129. num. 5. Cletzelius tractatus de appell. cap. 3. num. 92.*

## Controversia IV.

*An plures summae, quarum singulae appellatio- tioni conformem summam non faciunt, conjungi possint, ut fiat una summa ap- pellabilis?*

Pro



**P**RO affirmativa militat quam maxime favor appellatio-  
nis, qui iudici ante omnia est considerandus; certe si  
cumulus debitorum concurrat, ubi singularum summarum  
quantitas intra jurisdictionem iudicantis non est, eorum  
omnium coacervatio rejicienda non est, quantumvis plu-  
ribus actionibus petenda esse proponatur, quam in rem ad-  
duci potest *l. si plures. 9. §. cumulum. 1. ff. de pactis.* quæ  
cum generaliter loquatur, generaliter etiã accipienda  
est.

Porro cum humanior semper sententia à iudice eligi  
debeat, imprimis, ubi de appellatione admittenda agitur;  
hoc autem, si cumulatio diversarum summarum haud ad-  
mitteretur, non fieret, inde concluditur quod hæc non sit  
facile rejicienda. *Cletzelius in tractatu de appell. cap. 3. num. 26.*  
*Mynsing. cent. 5. obs. 83. num. 4. Gail. lib. 1. obs. 123. num. 2.*

In contrarium vero pugnat & pro negativa potius fa-  
cit ipsa natura, & qualitas actionum; quarumlibet enim ha-  
benda est ratio, si quælibet constituat speciem diversam de-  
biti exigendi. *l. scire debemus. 29. ff. de verbor. obligat. l. qui  
tamen. 21. ff. de arbitris. l. etiam. 29. ff. de minor. conferatur  
Gail. lib. 1. Obs. 63. num. 4.* quare consequens est, ut singula-  
rum summarum ex diversis causis debitarum ratio habeatur,  
& quantumvis sententia super pluribus articulis & li-  
bellis unò verborum contextû eãdemque chartâ prolata  
una dicatur, respectu tamen diversarum rerum tot dicendæ  
videntur sententiæ, quot separata capitula consideranda  
veniunt. *dicta. l. etiam. 29. §. ex causa. 1. ff. de minor.* ergo tot  
debent esse appellationes, cum præcipuè appellatio super  
uno separato sententiæ capite interposita etiam non totam  
devolvat causam, nec de tota causâ appellatio interposita  
videatur.

**B**

**Nobis**

Nobis autem distinguendum sententia præ cæteris probanda videtur, respiciendum esse, an plures, licet diversæ summæ petantur unâ actione, & verius est hanc coacervationem summarum in appellatione locum invenire; an verò aliâ actione diversæ summæ petantur, idque ex aliis diversis causis obligationum, & cumulatio suprædicta admittenda non est, quam in rem videndus est *Grevaus ad Gail. concl. 123. num. 4. & 5.* quam distinctionem admittere videtur *Jurisconsultus Ulpianus in l. si qui separatim. 10. §. si quis. 1. ff. de appell.* ubi ait, *si quis, cum unâ actione ageretur, quæ plures species in se habeat, pluribus summis sit condemnatus, quarum singule notionem principis non faciunt, omnes autem conjunctæ faciunt, poterit ad principem appellare. vid. Brunne- man. ad hanc l. 10. §. 1. & c.* Ex legibus supra in oppositum allegatis non evincitur, quod intendunt Doctores citati; etenim *l. si idem. 11. ff. de jurisdic.* rectè ponderatâ, hoc solum infertur, si coacervatio omnium summarum excedat modum jurisdictionis, nihilominus agi posse coram magistratu, qui de certa summa judicare potest; si singularum quantitas intra jurisdictionem judicantis subsistat. Quod autem coacervatio summarum ex diversis causis debitarum fieri possit ad appellationem interponendam, de eo altum silentium in ea lege, nec ullum decisionis vestigium habetur. Insuper ratio summarum habetur disjunctim in hac ipsa lege, non verò conjunctim, alia enim est debitorum ratio quoad actionem; quæ intra jurisdictionem judicantis sunt, alia est ratio appellationis; admittitur itaque, quod est ad conservandam jurisdictionem, non verò id, quod illam destruit, & sic cæteræ leges sunt interpretandæ; *conferatur Cletzelius tract. de appell. cap. 3. num. 26.*

Contro-

## Controversia V.

*Utrum in causis criminalibus appellatio recipiatur?*

**I**N negativam videtur facere favor salutis Reipublicæ, ne causæ criminales diu protrahantur, & institutõ processû rursus impediatur executiones, & sic crimina maneant impunita, *l. ita. §. estimatio. 2. v. cum neque impunita. ff. ad L. Aquiliam. l. locatio. 9. §. quod. 5. ff. de publican. & vectigal. aut saltem pœnæ comertæ differantur; vid. Mynsing. Cent. 4. Obs. 41. num. 6.* quod & ipse Imperator innuere videtur, cum jubeat observari, ne quis crimine capitali damnatus appellans audiatur, *l. observare curabis. 2. Cod. quor. appell. non recip.*

Insuper Jurisconsultus distinctionem inter criminalia & civilia hanc adferre videtur; quod in his appellationi locus sit, non verò in illis; quæ verba in *l. 244. ff. de verb. signif.* clarissima hæc sunt: *si qua pœna est, mulcta est, si qua mulcta est, pœna est; Paulus; Utrumque eorum falsum est; namque harum rerum dissimilitudo ex hoc quoque apparet, quod de pœna provocatio non est, simulatque enim victus quis est ejus maleficij, cujus pœna est statuta, statim ea debetur: deinde subjungitur, quod à mulcta provocatio sit licita.*

Præterea Constitutiones, quæ dicunt, appellatione pendente, nil innovari posse, locum habere non possunt in iis, quos damnatos statim puniri publicè interest. *l. constitutiones. 16. ff. de appell. & relat.*

Confirmatur hæc opinio porro ex inveterata & notissima Germaniæ consuetudine, qua hoc observatur, ne in

causa criminali appellantes audiantur. *Ord. Cam. Imper. p. 2. tit. 28. §. item. nach Dem. Ita decisum quoque in Comitibus Imperij de Anno 1530. §. item. als etliche Zeit. fol. mihi. 204. ubi expresse prohibentur cause criminales recipi in Camera Imperiali per viam appellationis. vid. Cletz. tract. de Appell. Cap. 3. num. 8. Wesenbecius in pandect. us de appell. recip. vel non. num. 8. Mynsing. Cent. 2. Obs. 98. num. 4. & Cent. 4. Obs. 41. num. 1. Carpz. in definit. forens. definit. 20. num. 1. 2. 3. & 4.*

Mihi autem affirmativæ subscribere placet; absurdum enim videtur, appellationem in causis pecuniariis concedere, & in criminalibus negare. *vid. Brunneman. ad l. non tantum. 6. num. 3. hoc tit. Berlich. p. 2. d. 231. Imo non tantum ipsi reo, verum etiam alteri pro illo defensio concessa est, atque appellatio à tertio justificari quoque potest. Hill. in Donell. lib. 28. cap. 6. lit. G. quod & ad foeminas extendi posse probatur. arg. l. hæc clausula. 1. §. consequens. 6. ff. de suspect. tutor. Brunnemann. ad dictam l. non tantum. 6. num. 1. Ubicunque enim non specialiter prohibita reperitur appellatio, licita est. arg. l. & in majoribus & in minoribus. 20. Cod. de appell. & relat. quam legem & de capitali supplicio fortunarumque dispendio loqui satis manifestum est, & probatur per l. addictos. 29. Cod. de appell. & relat. addatur l. 14. eod. Confirmat hoc idem principale Rescriptum in l. Imperator. 25. ff. de appell. & relat. ibi: appellare quidem qualiter quis prohibeatur à judicantibus non video &c. injuria autem & vi uti adversus eos qui appellant, & custodia militari circumstistere (ut simpliciter dicam) obstruere illis eam ad nos viam interdici-mus curatoribus & ducibus gentium; & obediant huic meæ pronuntiationi &c.*

Id quod de Jure Canonico quoque manifestum est, adeo, ut inde probandæ thesi non sit, ut immoremur. *vid. cap. II. X. de appell. & relat.* Amplia-

Ampliatur hæc sententia ex favore appellationis, per quem in dubio, an criminalis an vero civilis sit causa, appellare licet. *Glossa in l. qui restituere. 68. ff. de rei vindicat. Menochius Rem. 6. de recup. possess.* Imò in crimine læsæ Majestatis humanæ admittendam esse appellationem probat *Vivius Comm. opin. 55. lib. 1. num. 3.* & hanc ait communioem esse sententiam & verioem.

Cæterum non negamus, dari casus, in quibus appellatio rejicienda potius est, quam admittenda, ubi necessitas hoc requirit, vel salus publica exigit. *l. observare curabis. 2. Cod. quor. appell. non recipiuntur.* vel privilegia judicantibus concessa id exigunt, quale etiam Reipublicæ Argentinensi competit, à cujus in criminalibus lata sententia ad Concilium Colmariense appellare haud licet.

Verùm hæc specialia nos non debent movere, ut à juris communis tenore recedamus; nec aliquam auctoritatem hic invenit consuetudo Germaniæ, cum nos jus Romanum hic defendamus.

## Controversia VI.

*An à judice protrahente justitiam appellatio permissa sit?*

**Q**ui negant, fundamentum ponunt in eo, quod appellatio locum non habeat, ubi alia dantur remedia, quibus jus suum obtinere quis potest. Jam autem, ubi neglecta vel dilata est justitia, habetur remedium adeundi judicem superiorem, ut cogat inferiorem ad justitiam administrandam; *Mynsing. Cent. 3. Obs. 57. Bartol. in l. ult. de appell. recip. Baldus l. ult. Cod. de sentent. & interloc. & l. ult. §. illud. Cod.*

*de tempor. appell. Gail. lib. 1. Obs. 28. num. 2.* ubi testatur, quotidie citationes ob denegatam justitiam per modum simplicis querelæ in Camera decerni; simplex autem querela non est appellatio dicenda. *vid. Ord. Cam. p. 2. tit. 1. §. fin.* Sententiam hanc quoque amplectitur *Maranta in speculo aureo p. 6. num. 119. de appell. querel. & reduct.* ubi dicit, si judex tardaret expeditionem causæ, ab ista tardatione non posse appellari, sed querelam posse superiori exponi, & ita tenet *Baldus in l. cum anterioribus. fin. §. illud. 4. Cod. de tempor. appell.*

Porro appellatio datur à sententia judicis inferioris ad superiorem, ubi autem protrahitur justitia, nulla adest sententia; quare nec appellationi locus esse debet, & ubi non probatur denegatio justitiæ, in judice nunquam præsumitur. *in l. si quis. 2. Cod. de officio Civil. judic. l. susceptores. 1. Cod. de suscept. preposit. & arcar. vid. Mynsing. cap. 2. Obs. 64.*

Sed contrariæ tamen sententiæ defensoribus potius subscribo; judex enim suscepto semel judicio in processu tardans, censetur denegare justitiam, à qua denegatione causa non per viam denegatæ justitiæ vel simplicis querelæ, sed per modum appellationis ob negligentiam judicis ad superiorem devolvitur teste *Gail. lib. 1. obs. 28. num. 2. & 3. Panormitan. in cap. ex parte. cl. 2. num. 2. de appell. Felix in cap. ex litteris. num. 8. de Const. adde cap. licet. 10. X. de foro competent.* Ut autem judex dicatur tardans seu nimium protrahens justitiam, trinam interpellationem præcessisse necesse est; quod si ritè observatum fuerit, tum nullo pacto decernitur citatio, neque jure potest; quia talis denegatio vel dilatio justitiæ devolvit quidem causam, sed non nisi per appellationem. *Abbas in cap. ex parte. 67. X. de appell.* quod etiam in Camera servari testatur, *Mynsing. Cent. 5. Obs. 82. num. 5.* si modo

do

dò legitimè doceatur justitiæ protractio, & judex immediatè Camerale judicium agnoscat. Ad hanc rem stabiliendam facit etiam *textus in auth. statuimus. Cod. de Episcop. & Cleric.* ubi judex propter denegatam justitiam dicitur amittere jurisdictionem suam, & consequenter superiorem pro administranda justitia adiri posse certum evadit. *Gail. lib. 1. Obs. 28. num. 1.*

Cæterum, quæ in contrariam partem superius allegata sunt, intelligi debere censemus de protractione & denegatione juris, quando coram ordinario judice causa nondum judicialiter cœpta est; ex quo apparet, judicium tum non calumniosè protrahi, ut notat *Mynsing. Cent. 5. Obs. 82. num. 1. & 4.*

Denique appellatio non tantum datur contra sententiam, sed adversus quodlibet irreparabile gravamen judicis inferioris. *Schütz in compendio juris. tit. de appell. & relat.*

## Controversia VII.

*An permittatur appellatio in causis minimis.*

**A**Ntequam utriusque opinionis fundamenta & rationes proponantur, necessarium est, dispicere, quænam summa seu quantitas in respectu ad appellationem in Jure Romano aut alibi dicatur minima. Hujus summæ determinationem ex re, de qua lis est, æstimare debemus; quam, si sumptus judicii ferre non potest, pro minima rectè putaveris, aut, si quæ decem libras auri non excedat; ut ait *Imperator in l. anteriorum legum. §. illud. 3. Adde Cap. 28. Caus. 2. Quæst. 6.* aut, quæ extenditur tantum usque ad duos aureos. *l. si quis. 9. §. merito. 5. & l. id est. 12. ff. de dolo malo; adde Menoch. de arbitr. judic. quæst. cas. 72.*

Qui

Qui affirmativam tenent, se fundant in ipsa appellatio-  
nis natura, quæ consistit non in quantitate gravaminis, sed  
in injustitia sententiæ & judicis iniquitate, *l. appellandi. 1. pr.  
ff. de appell.* jam autem injustitia & iniquitas judicis sæpè re-  
periri potest etiam in minimis, *Streinius in summa juris Cano-  
nici, p. 3. tit. 10. §. 11. dub. 5.*

Deinde, ubi consideratur pravitas & injustitia, modi-  
cum non differt à magno; quod enim æquum & justum est  
in maximo consideratis justitiæ principiis, justum & æquum  
debet etiam esse in parvis.

Porro hanc sententiam confirmat *Alexander tertius in  
cap. de Appellationibus. 11. X. de appell.* ubi disertis verbis ait;  
*pro causis minimis interpositis volumus te tenere; quod eis, pro  
quacunque levi causa fiant, non minus est, quam si pro majoribus  
fierent, deferendum; conferatur l. & in majoribus. 20. Cod. de ap-  
pell.*

Nos autem de jure Civili quidem negativam potiùs am-  
plectimur, idque propter aperta verba *l. anteriorum legum.  
§. illud 3. ibi: ideoque sancimus, si quando &c. provocatio spe-  
ratur usque ad decem librarum auri quantitatem, non in hanc  
regiam urbem eam venire &c.* & ibi: *nulla ei penitus post defini-  
tivam sententiam appellatione porrigenda: conferatur Auth. nisi  
breviores, Cod. de sentent. ex brev. recit.* Ubi enim sumptus  
rem in judicium deductam superarent, frustra judex mo-  
lestaretur, partesque plus damni quam lucri inde sperare de-  
berent. Hinc potiùs ad vexationem partis adversæ & ex  
invidia lis suscepta intelligeretur, quam ad obtinendam justi-  
tiam; & *l. & in majoribus. 20 Cod. de appell.* intelligitur dispo-  
nere de criminalibus & civilibus, non verò de majore vel  
minore quantitate in judicium deducta; *vid. gloss. in hanc  
legem.*

Cæte-



Cæterum non negamus, jure canonico hoc obtinere, ut etiam in causis minimis appellationem interponere liceat, idque dispositum in *Cap. de appellationibus. II. superius allegato. Conferatur Maranta in speculo aureo. p. 6. num. 326.* Verum nobis hic sermo est de jure civili; Cæterum hanc summam non ubivis eandem esse, de hodierna praxi certum est; equidem summa appellabilis, in Camera Imperiali restringitur ad 300. *floren. recessu Deputationis de Anno 1600.* Verum plures sunt in Imperio Romano-Germanico Status, qui judicant, ita ut sententia eorum appellationi non sit obnoxia, etiamsi ad longe majorem summam materia litis se extendat. In Gallia quoque diversa hic sunt jura, ita ut ab uno judicio inferiori in minori, ab alio in majori summa liceat appellare, quæ speciatim hic recensere nimis longum, & ab instituto nostro alienum foret.

## Controversia VIII.

*An non judici à quo per appellationem ab eo interpositam fiat injuria?*

Videri sane posset jure queri judicem, à quo provocatur, dum ejus sententia rejicitur & iniquitatis accusatur. Cum enim supponatur judicem potestatem dicendi juris publicam habere, sive publica sibi auctoritate tributam, non videtur citra injuriam ipsius auctoritas in sententionando contemni; Adde, quod, dum gravamina contra sententiam ejus proferuntur, vel id censeatur imputari judici, quod noluerit, vel id, quod non potuerit bene judicare. Utrum eligas, ipsi injuriosum esse videtur,

C

cum

cum iudicis officio merito censeatur indignus, qui vel non eas habet dotes, ut jus ad factum prudenter applicare sciat, vel non eo est animo, ut cuique jus suum indifferenter & citra considerationem personæ partialem tributum velit.

Verum enim vero ipsemet Imperator *Constantinus* in *l. 20. Cod. h. t.* rem decidit; *judicem* enim, ait, *non oportet sibi injuriam fieri existimare, eo, quod litigator ad provocationis auxilium convolvavit.* Facit huc, quod appellatio jure publico sit introducta, adeoque pro remedio legitimo jus suum prosequendi merito habeatur. Jam autem regula juris est, *qui jure publico utitur, nemini facit injuriam. l. 13. §. 1. ff. de injur. l. 55. ff. de Reg. Jur.* Sed & pro sententia nostra militat: appellatorem juri naturali etiam convenire, sive rationem naturalem habere, quod supra pluribus est demonstratum. Qui itaque habent superiorem, non possunt, nec debent ægrè ferre, si ad eum lis per appellationem à sententia eorum deferatur. Aut enim bene judicarunt, & præsumitur iudex superior eorum sententiam esse confirmaturus, aut male judicarunt, eo, quod vel somnus ipsis negligentia vel ignorantia obrepserit, & si quod ex correctione sententiæ à superiori facta existimationis damnum incurrant, sua culpa incur-  
rere, adeoque sentire non videntur.

Justitiæ

**J**ustitiæ Cultor Sacras addiscere leges  
Cœpisti, Specimen jam dabis hacce thesi,  
Quo, defrustrato primo tentamine juris  
Ostendas aliam ad jura petenda viam,  
*Appellare* doces, cui sunt sua jura negata  
Illicò majoris júdicis optet opem.  
Perge, imitare *Patrem* studio, virtute regentem,  
In te Majorùm gloria, lausque micat;  
Quos igitur speras merito reddantur honores,  
Præmia jam capias digna labore tuo:

*Nobilissimo atq; Præcellenti*

DOMINO RESPONDENTI

paucis his ex sincero animi  
affectu accinit

Joh. Henric. Werné,  
J. U. C.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Dassiel aus 57, 50